Q. D. O. M. B. V.

DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA

DE

MORBIS INTEMPERIEI

QVAM

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO

SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO

DOMINO

GVILIELMO HENRICO

DVCE SAXONIAE IVLIACI CLIVIAE MONTIVM

ANGARIAE WESTPHALIAE ET RELIQVA

SVB PRAESIDIO

IO. ADOLPHI WEDELII

PHIL. ET MED. DOCT. CHIMIAE ET PRAXEOS

P. P. ORD. SERENISSIMOR. SAXON. DVCVM CONSILIAR.

ET ARCHIATRI ET ACAD. NATVRAE

CVRIOS. COLLEGAE

PATRONI PRAECEPTORIS PROMOTORIS ET HOSPITIS
SVI AD CINERES VSQVE MAXIMVM VENERANDI

PRO LICENTIA

SVMMOS IN ARTE MEDICA HONORES INSIGNIA ET

PRIVILEGIA DOCTORALIA MORE MAIORVM

RITE CAPESSENDI

PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI

SVBMISIT

IVSTINVS GERHARD. DVISING

HASSO-CASSELLANVS

AD D. XXII. MAII. MDCCXXVIII

IENAE LITTERIS FICKELSCHERRIANIS

I. N. I.

§. I.

MOrbus intemperiei ideo ita vocatur, quia intemperies eiusdem cauſa immediata eſt; vti morbi conformationis & ſolutæ vnitatis, ob ſimilem rationem, ſuum habent nomen. Intemperies autem eam ob cauſam illa conſtitutio præternaturalis dicitur, quoniam particulæ diuerſæ, mixtum illud fluidum, in quo eſt morbus, conſtituentes, ſe inuicem minime ita temperant, vt qualitas ſanitati apta, ſed potius peregrina & morbifera, emergat.

§. II.

Eſt autem morbus intemperiei impotentia humorum & ſpirituum exercendi actiones ipſis conuenientes, ab eorundem intemperie dependens, variaque ſymptomata, & varios morbos alios, efficiens.

§. III.

Subiectum morbi intemperiei principale sunt humores & spiritus. Cum enim intemperiei fundamentum sit particularum, mixtum constituentium, proportio mutata, in solidis autem partibus, vt talibus, particulae, mixtum constituentes, cohaesionem adeo firmam habeant, vt proportionem illam, semel adquisitam, mutare haud possint, nisi corruptione accedente, minime partes solidae, vt tales, intemperie laborare possunt. Ergo fluidis tantum hic morbus competit, sanguini, sero, & humoribus ab his ortis, vt & spiritibus, in quibus mutatio eiusmodi proportionis fieri potest. Ordinarie quidem intemperiem massae sanguineae & spiritibus vnice tribuunt, minus autem humoribus reliquis, cum tantum caloris & humidi, minus autem reliquarum qualitatum, habeant rationem. Verum, cum & reliquae qualitates vitiatae impotentiam agendi faciant, & a simili causa oriantur, nihil impedit, quo minus omnes humores generatim subiectum intemperiei constituant. Adaequatum huius morbi subiectum sunt partes solidae, quatenus fluidas, ita mutatas, in se continent, & ab iisdem afficiuntur. Et ideo vel toti corpori, vel huic illiue parti solidae, intemperiei morbus tribuitur.

§. IV.

Genus morbi intemperiei est impotentia exercendi actiones conuenientes. Massa sanguinea enim tam calorem vitalem proportionatum, quam nutritionem & auctionem, reliquasque actiones vel praestare,

vel

vel iuuare, debet; humores, ex ſanguine orti, itidem determinatam vim vt exerceant, requiritur in ſtatu ſano; ſpirituum officium eſt, ſenſum & motum efficere. Vis autem hæc ſi mutetur, & impotentia ſic adſit hæc præſtandi, morbus harum partium eſt & dicitur. Cum humorum & ſpirituum potentia hæc agendi læſa vel a qualitate vel a quantitate, vel a motu eorundem vitiatis, dependeat, hoc loco qualitas tantum, quæ nihil aliud eſt quam intemperies, conſideratur, vnde intemperies, tanquam cauſa immediata, differentiæ ſpecificæ loco in definitione eſt poſita.

§. V.

Cauſa itaque morborum intemperiei immediata eſt ipſa intemperies. Intemperies autem eſt qualitas humorum & ſpirituum, actionibus conuenientibus edendis haud idonea, a particularum diuerſarum, illos mixtura ſua conſtituentium, proportione vitiata eueniens. Antiqui ad intemperiem referebant tantum qualitates primas dictas peccantes, vt omnis imtemperies ipſis eſſet vel calidi, vel humidi, excedentis vel deficientis. Verum, cum non minus reliquæ qualitates peccantes fluidorum impotentiam agendi faciant, & ab eadem generali cauſa proueniant, omnes quoque ad intemperiem pertinent. Igitur omnis fluidorum corporis viuentis qualitas peccans ſub intemperiei idea continetur, eique definitio iam allata conuenit.

§. VI.

Atque hoc ipſum quoque deprehendebant antiqui, quod qualitates illæ, primæ dictæ, haud ſuffice-

rent ad rem exhauriendam, vnde etiam, in intemperie maligna explicanda, recurrebant ad qualitates occultas, non enim tunc caloris exceſſus, vt talis, nec reliquæ qualitates primæ, id malum ſatis denotabant. Non tamen culpandi ideo ſunt, rem ipſam enim, licet non ſub hoc nomine, diligenter inueſtigarunt. Qualitates enim primas peccantes in maſſa ſanguinea, ſub nomine morborum intemperiei, κατ᾽ ἐξοχὴν ita dictorum, conſiderauerunt, cum caloris & humidi mutationes præternaturales ſenſibus magis obuiæ hic apparerent. Reliquas autem qualitates maſſæ ſanguineæ vitioſas, cum non manifeſte ſtatim actiones inde læderentur, ſub cacochymiæ nomine, tanquam cauſas morboſas, tractabant. Et, ne quid deeſſet, humores ex maſſa ſanguinea ortos intemperie, vel qualitate, peccantes, vel bilis, vel ſeri, vel pituitæ, vel melancholiæ vel atræ bilis nomine, & quidem diuerſimode iterum ſpeciatim differentes, ſolicite propoſuerunt.

§. VII.

Non autem conſultum putamus, veterum temere mutare nomina, cum ſeruari queant absque vlla confuſione. Si enim ſciamus, cacochymiam quamlibet, hinc & bilis, ſeri, pituitæ, melancholiæ & atræbilis, qualitatem vitioſam, ad intemperiei claſſem pertinere, tum veterum mentem, tum rem ipſam, intelligere valemus, non obſtantibus his nominibus, quæ incongruentia non ſunt. Varia enim ratione exprimi qualitates illæ reliquæ peccantes poſſunt & ſolent. Sic ratione cohæſionis humores, tam alimentarii quam inde

orti

orti, ſunt nimis vel viſcidi, craſſi, ſpiſſi, vel tenues, fluxiles; ratione euaporationis, vel volatiles nimis, vel nimis fixi; ratione qualitatum ſalinarum ſunt vel nimis acres, irritantes, corroſiui, fermentatiui, ſpeciatim vel acidi, vel alcalici, vel medii, diuerſo gradu, & pluribus aliis modis, ob combinationem harum variam, aberrantes. Ad intemperiem autem recte referri hæc vitia, vel ex eo quoque conſtat, quod exceſſus & defectus vitioſi ſint, medius enim & proportionatus, ſeu temperatus, ſtatus, vt nihil emineat, naturalis eſt.

§. VIII.

Cauſa imtemperiei eſt particularum diuerſarum, humores mixtura ſua conſtituentium, proportio vitiata. Particulæ illæ diuerſæ, quæ in humoribus deprehenduntur, ſunt aqueæ, terreæ, ſalinæ, ſulphureæ, quibus etiam immerſæ hærent aereæ. Hoc autem probatur partim ex reſolutione, quocunque modo facta, nullæ enim aliæ vnquam inueniuntur, quod tamen aliquando contingere deberet, ſi aliæ in iisdem exiſterent, partim ex reſtauratione & conſeruatione humorum, niſi enim alimenta has particulas proportionatas in ſe contineant, reſtauratio & conſeruatio humorum viuentium haud contingit. Quasdam harum particularum ex aliis iterum conflatas eſſe, non negamus, adeo firmam tamen obtinent coniunctionem, vt in corporibus viuentibus vltimam talem reſolutionem vix ſubeant, vt & alias difficillime illa ſuccedit, & tamen etiam magis actiua particula, inertiori coniuncta, naturam ſuam eſſentialem non mutat, cum hanc non ex

combi-

combinatione habeat, ſed a prima creatione obtinuerit. Spirituum autem particulæ conſtituentesſunt ſalinæ, ſulphureæ, aqueæ,volatiles & ſubtiliſſimæ,ex ſanguine & ſero euolutæ. Quodſi enim humores & ſpiritus eſſent ſubſtantiæ ſimpliciſſimæ, ex diuerſis haud coalitæ, mutationem ſubire, adeoque qualitatem vitioſam adquirere,haud poſſent, cum res ſimpliciſſimæ eandem ſemper ſeruent naturam, nec vnquam,niſi a ſummo creatore, mutari poſſint, & ideo per tot ſecula eodem modo ſe habuerint.

§. IX.

Singulæ autem hæ particulæ peculiarem a ſummo Numine acceperunt vim, quæ itidem inſeparabilis & eſſentialis eſt, variis tamen & infinitis modis per reliquarum, quæ diuerſa vi gaudent, coniunctionem & combinationem,determinatur,vt ita in diuerſis particulis, ſibi diuerſa proportione mixtis,alia aliaque vis compoſita compareat, quæ hinc qualitas dicitur,& temperies generatim appellatur. Vim talem certam, tum terræ, tum aquæ, tum ſalibus &c. ineſſe, eamque combinatione & mixtura aliter determinari, experientia ſatis conſtat. In humoribus igitur atque ſpiritibus ſi tales particulæ, quæ ad ſingulorum vim determinatam requiruntur, & quidem decenti proportione, iunctæ ſint, non poteſt non adeſſe deſiderata illa qualitas vel temperies. Quodſi autem quædam vel abſint, quæ tamen adeſſe debebant, vel prorſus peregrinæ, alienam a ſcopo vim conciliantes, iunctæ ſint, vel etiam, licet idoneæ alias adſint, non autem aptam proportionem

inter

inter ſe inuicem habeant, intemperies, id eſt, qualitas vitioſa & aliena, & ſic impotentia recte agendi, oritur. Atque in his omnibus conſiſtit proportio illa vitiata. Nam ſi quædam, neceſſariæ tamen ad hanc vim determinatam, deſint, reliquæ nondum habere poſſunt proportionem eidem reſpondentem, vt &, ſi peregrinæ mixtæ inhæreant. Particulæ itaque eiusmodi, exceſſu vel defectu proportionem dicto modo turbantes, cauſa mediata proximior ſunt.

§. X.

Calida itaque vt fiat ſanguinis intemperies, partium eum conſtituentium proportio ita vitiata deprehenditur, vt vel partes ſulphureæ oleoſæ & volatiles magis, quam par eſt, auctæ ſint; vel particulæ ſalino-ſulphureæ peregrinæ admixtæ ſint, quæ illarum ſulphurearum reſolutionem, & ignearum liberationem, maiorem efficiunt; vel ſeroſæ blandæ, ſulphureas volatiles alias temperantes & demulcentes, deficiant. Iſtud ſi fiat, neceſſe eſt, partes igneas, in ſulphureis hærentes, copioſius quoque ſecedere, caloremque maiorem excitare; illud autem ſi contingat, itidem ex ordinariis præſentibus partibus ſulphureis maior ignearum particularum ſeceſſus exiſtit, & ſic quoque calor præternaturalis emergit; hoc defectu autem præſente, eadem ignearum particularum liberatio maior, hinc & calor nimius, oritur.

§. XI.

In frigida ſanguinis intemperie, id eſt minori caloris, quam ſanitas poſtulat, gradu, vel deficiunt partes

eiusdem ſulphureæ, oleoſæ, volatiles, vel aliæ, easdem præſentes deprimentes, obtundentes, diluentes, obnubilantes, vt acidæ fixiores, pituitoſæ, ſeroſæ, ſulphureæ fixiores, narcoticæ, exuperant. Vtroque modo igneæ liberari, calorque decens emergere, haud poſſunt. Humida intemperies vnice abundantiæ ſeri; & ſicca intemperies ſeri defectui, debetur, quod per ſe patet.

§. XII.

Cohæſio humorum tam alimentariorum quam excrementitiorum vitioſa, qua illi redduntur craſſi, viſcidi, lenti, ſpiſſi, ſimilem prorſus agnoſcit cauſam; nimirum tales redduntur vel ob defectum humidi, vel ob defectum particularum ſoluentium, ſubtilium & ſpirituoſarum, vel ob abundantiam particularum pituitoſarum, acidarum, fixiorum, auſterarum, tartarearum, & ſulphurearum fixiorum & viſcidarum. Cohæſionis humorum nimis deficientis, vt illi ſint nimis tenues, fluxiles & mobiles, cauſa hæret vel in abundante nimis ſero, vel in auctis nimis particulis ſalinis, & ſalino-ſulphureis, ſoluentibus & actiuioribus. Volatiles nimis humores euadunt, vel a ſalibus, & ſulphureis particulis, volatilibus, in iisdem auctis, vel ab accedentibus talibus, quæ liberationem volatilium faciunt, quales ſunt alcalicæ, & ſulphureo-ſalinæ, vel a defectu temperantium gelatinoſarum, ſeroſarum blandarum, & fixiorum naturalium reliquarum. Salinas qualitates ſalibus abundantibus in humoribus ortum debere, & earum, pro horum diuerſitate, & coniunctione aliorum, varietatem inſignem exiſtere, obſcurum haud eſſe poteſt, cum ab

his

his eminentibus nomen quoque obtineant. Manifeſtum itaque in his eſt, qualitates humorum vitioſas a particularum, illos mixtura ſua conſtituentium, proportione vitiata prouenire.

§. XIII.

Cauſam hanc qualitatis vitioſæ humorum adhuc magis confirmat cacochymia dicta bilioſa, pituitoſa, ſeroſa, melancholica & atrabilaria, quælibet enim notat proportionem vitiatam ſanguinis ex abundantibus vel particulis bilioſis ſeu ſalino ſulphureis, vel viſcidis gelatinoſis, vel aqueis tenuibus, vel acidis, vel acido bilioſis, ortam, & exinde conſequentes qualitates morboſas ſimul innuit, vnde ante dictis congruentia ſunt, quæ in hisce cacochymiis occurrunt, & non niſi verbis differunt. Hoc facillime oſtendi poſſet, ſi inſtituti noſtri ratio iam permitteret. Ad ſpecialiora enim ſi deſcendere velimus, limites diſſertationis minime ſufficerent. Adeoque iam contenti ſumus, quod clarum ſit, omnia hæc qualitatis humorum vitia ad intemperiem, ſi penitius rem conſideremus, pertinere.

§. XIV.

Excrementitios quoque, ſeu ex alimentariis ortos, humores, qualitate peccantes, nulla alia ratione vitioſos euadere poſſe, itidem ex modo dictis cognoſci poteſt. Bilis enim obtuſa, iners, viſcida, concreta, tartarea, acido-tartarea, fluxilis, efferata, acrior, vitellina, porracea, iſatodes, æruginoſa; pituita dulcis, inſipida, ſalſa, ammoniacalis, vitrea, gypſea, tartarea; ſerum acre, ſalſum, acidum, bilioſum, lixiuioſum &c. a parti-

cularum,hos humores conſtituentium, proportione vitiata, in talem ſtatum abiere. Idem quoque de ſpirituum qualitate vitiata valet , omnis enim a particularum , eosdem conſtituentium , proportione vitiata emergit. A viſcidis enim, pituitoſis, ſeroſis, ſulphureis narcoticis , acidis , acido bilioſis, bilioſis, vel aliis particulis, eisdem admixtis , intemperiem variam ſuſtinent. Quod & cauſæ prægreſſæ manifeſtæ , quibus tales particulæ auctæ fuere, & curatio horum malorum , quæ in emendatione & remotione harum particularum occupata eſt, docent.

§. XV.

Generatim igitur cauſa intemperiei humorum & ſpirituum conſtat. Hanc autem efficiunt vlterius cauſæ mediatæ remotiores dictæ , quæcunque nimirum particularum conſtituentium vel defectum vel exceſſum , vel peregrinarum acceſſum & ortum, facere valent. Hunc autem effectum hæ cauſæ præſtant , quia vel copioſiores tales particulas in corpus inferunt ; vel earundem ſecretionem & euacuationem decentem impediunt ; vel particulas, contrariam vim habentes, minuunt, tunc enim illæ augentur ; vel motu vitioſo, humoribus ſpiritibusque inducto , motum inteſtinum peregrinum excitando, combinationem aliam , & ſic proportionem vitiatam, exhibent. Sunt autem hæ cauſæ vel naturales , vel nonnaturales vel præternaturales.

§. XVI.

Ex naturalibus temperamentum ad augendas eas particulas facit , quæ iamdum in eodem ſecundum

natu-

naturam abundant. Facilius enim in temperamento bilioſo bilioſæ partes, in pituitoſo pituitoſæ, & ſic in reliquis, augmentum capiunt, & eo magis, quo magis reliquæ conſentiunt cauſæ. Ætas quælibet, cum mutationem temperamenti ſecundum naturam ſubeat, humorumque ſic diuerſitatem exhibeat, & præterea fibrarum robur aliud in qualibet adſit, vel eminentibus, vel deficientibus partibus, humores conſtituentibus, anſam præbet. Sexus ſequior reſpectiue magis ſeroſas abundantes, melior actiuiorum partium faciliorem prouentum, exhibet. Habitus corporis temperamenti rationem potiſſimum ſequitur. Diſpoſitio hereditaria ſtatum corporis ad vitioſam proportionem humorum & ſpirituum procliuem notat, vnde & ſimiles humores facile exuperant, vel tales reddi poſſunt.

§. XVII.

Ex nonnaturalibus cauſis aer calidus humidum & partes volatiles difflando, rarefaciendo, bilem acuendo, fermentationem excitando; frigidus coagulando, figendo, denſando; humidus pluuioſus excretiones impediendo, ad putrilaginem diſponendo; denſior, craſſior, effluuiis variis impraegnatus, inæqualis, ventoſus, aliisque modis peccans, proportionem humorum, partes eos conſtituentes vitioſe augendo, minuendo, diſponendo, diuerſimode turbat. Cibus & potus tum quantitate, tum qualitate, & alias, peccans, materiam humoribus dum præbet, tales etiam partes humorum incrementum capient vitioſum, quales in his abundant. Vel, ſi quantitate tantum boni peccent

cibi, pro temperamenti conditione illæ augmentum capient, quæ præ reliquis iamdum eminent in corpore. Et ſic quoque motus & quies, ſomnus & vigiliæ, animi pathemata, exreta & retenta, particulas humorum & ſpirituum conſtituentes, pro diuerſa eorum conditione, augent vel minuunt, vitioſamque proportionem illis conciliant.

§. XVIII.

Præternaturales quoque cauſæ proportionem dictam vitiatam reddunt. Ita reliqua humorum vitia, vt eorum quantitas vel nimia, vel deficiens, & motus vitiatus, id faciunt. Nimia quantitas humorum haud ita poteſt apta eſſe, vt decentem ſeparationem & mutationem ſubeat. Reliquarum enim partium vis definitæ tantum quantitati, non autem nimiæ, ſufficiens eſt, adeoque partes, componentes humorem, vitioſe vel augentur, vel minuuntur. Nimis deficiente humorum quantitate, actiuitatem quoque, parem officio ſuo, illi non poſſident, & ideo facile partes, eosdem conſtituentes, a proportione ſua recedunt. Motus humorum vitiatus vel excedens, vel deficiens, ſeparationem, vel nimiam, vel non ſufficientem, poſt ſe trahit, vtroque modo dicta proportio læditur. Imo ipſa humorum intemperies, iam præſens, aliam excludere valet, noua proportionis mutatione inde facta, vt intemperies calida, abſumptis partibus ſulphureis balſamicis, aliquando frigidam infert, vt intemperies particularis, v. gr. inflammatio, intemperiem vniuerſalem, febrim, excitat. Morbi conformationis etiam intemperiem generant, ſic obſtructiones viſcerum proportio-

portionem humorum varie vitiatam, ſtaſis ſanguinis inflammationem, excitant. Sic ſolutæ vnitatis morbi, vlcera, vulnera &c. intemperiei auctores euadunt haud raro. Ex rebus toto genere præternaturalibus, venena, vermes, calculi, & ſimiles, idem mali genus proferre poſſunt.

§. XIX.

Effectus morborum intemperiei ſunt ſymptomata & alii diuerſi morbi. Symptomata eorundem generatim & primario ſunt actionis læſæ, ſi enim impotentia humorum & ſpirituum adſit exercendi actiones, ipſis conuenientes, & nondum omnem amiſerint vim, machinæ corporis conuenientem, actio vel imminuta, vel deprauata, loco genuinæ ſe exerit. Sic, in morbis intemperiei κατ' ἐξοχὴν ita dictis, in calida intemperie, loco caloris vitalis blandi, adeſt calor nimius, moleſtus; in frigida autem magis deficiens. Sic, ſpiſſitudine humorum præſente, motus eorundem, tam inteſtinus quam progreſſius, læditur. Et ita in reliquis ſe res quoque habet, vti etiam ſymptomata excretorum & retentorum, & qualitatis mutatæ, conſequuntur, quod ex ſpeciali horum morborum conſideratione, quam iam inſtituere haud poſſumus, pluribus pateſcit. Spirituum intemperie præſente, & virium, & ſenſuum, & motus voluntarii, ſymptomata apparere debere, facillime intelligitur.

§. XX.

Cum non tantum morbos imtemperiei vulgo & κατ' ἐξοχὴν ita dictos, ſed etiam quamlibet humorum

rum & ſpirituum impotentiam agendi, a qualitate eorundem vitiata dependentem, huc pertinere, ſuperius probauerimus, ſequitur, vt morbi intemperiei plurimos alios morbos efficiant, adeoque eorundem cauſa exiſtant. Et ob hanc rationem iamdudum medici morbos hos humorum, tanquam cauſas reliquorum morborum, conſiderarunt. Nulla enim pars ſolida, vt talis, conſtitutionem præternaturalem ſubire poteſt, quam a cauſa vel interna vel externa. Interna nulla reperitur, quæ non ſit vel humor vitiatus, vel a tali orta. Externæ autem cauſæ ſunt vel læſiones euidentes, immediate ſolidas adficientes, vel eiusmodi, quæ humores reddunt vitiatos, a quibus poſtmodum etiam ſolidæ lædi poſſunt. Imo, ſi ſolidæ ab externa vi ſint læſæ, humores tunc, quia in illis continentur & mouentur, vna læſionem ſubeunt, & horum emendatione illarum curatio obtinetur, niſi quod chirurgia mediante reliqua neceſſaria perfici ſimul debeant. Ergo potiſſima & præcipua morborum partium ſolidarum cauſa interna ſunt morbi humorum. Morbi autem humorum alii haud dantur, quam qualitatis, quantitatis & motus, vitiatorum. Ex his qualitatis vitiatæ, vel intemperiei, morbus eſt frequentiſſimus, adeo, vt & quantitatem vitioſam ſæpe comitetur, & motus humorum vitioſus haud raro ex hac ſola proueniat. Et inde quoque eſt, quod omnes morbi, exceptis iis, qui manuum operam poſtulant, ſola humorum vitiatorum correctione curentur, & in tantum ſanabiles ſint, in quantum humores corrigi valent, & per humores correctos ſolidarum partium reſtitutio obtineri poteſt.

§. XXI.

Differentia morborum intemperei deſumitur a ſubiecto principali, vt ſit morbus intemperei vel humorum, & quidem vel maſſæ ſanguineæ, vel humorum exinde ortorum; vel ſpirituum, vt iam ex dictis patet; vel a ſubiecto adæquato, cuius ratione intemperies eſt vel vniuerſalis, ſi per totum corpus diffuſum fluidum ita peccet, vel particularis, ſi in vna tantum parte hæreat. In parte hærens ita peccans humor ſi ſola qualitate peccet, dicebatur veteribus intemperies ſine materia, ſin autem præter qualitatem idem humor quantitate in parte vna peccet, vt tumor inde ſimul emergat, intemperies cum materia vocabatur. Ratione qualitatis vitiatæ intemperies, ſi primæ peccant qualitates, eſt vel calida, vel frigida, vel humida, vel ſicca, reliquæ qualitates autem ad intemperiem olim non referebantur, eandem autem tamen ſignant, ſi abſolute ponantur, vt viſciditas nimia, fluxilitas nimia, acrimonia nimia, & ſic in reliquis. Ratione gradus alia eſt maior, alia minor, maior eſt, quæ longius a ſtatu naturali recedit, minor, quæ leuiorem habet receſſum. Ratione moris alia eſt benigna, alia maligna; illa eſt, quæ nec gradum maiorem, nec periculum vitæ, habet coniunctum, & facilius emendari poteſt. Maligna autem eſt vel abſolute talis, quæ quidem magna non videtur, reſolutionem tamen & deſtructionem humorum vitalium, & inprimis ſpirituum, facile infert, vt in febribus malignis; vel ſecundum quid talis, ſi rebellior ſit intemperies, remediisque ordinariis haud facile cedat, vt in ſcorbuto con-

firmato, lue venerea & similibus. Morbi intemperiei malignæ absolute talis etiam a veteribus vocabantur morbi totius substantiæ, quia tota substantia vitalis inde destruitur, vt & morbi occultarum qualitatum, cum manifesta destruens qualitas non esset.

§. XXII.

Signa morborum intemperiei sunt vel qualitates manifestæ vitiatæ, vel, si illæ non appareant, morbi exinde orti manifesti, vt & eorundem symptomata, & tandem causæ manifestæ prægressæ. Sic intemperies calida ex calore aucto, & ex symptomatibus inde ortis, & causis sulphur sanguinis efferantibus; frigida ex caloris defectu huiusque effectibus, & causis partes sanguinis sulphureas deprimentibus, & ita quoque humida & sicca dignosci debet. Visciditas sanguinis ex morbis, & symptomatibus inde ortis, & causis viscidum facientibus manifestis, dignoscitur. Et ita tenuitas eius nimia, qualitatesque reliquæ, inuestigari debent peccantes. Hoc vero speciatim iam præstare non licet, cum quælibet talis intemperies peculiarem, nec adeo breuem, tractationem postulet.

§. XXIII.

Futurus status ratione vitæ & mortis ex gradu, & more inprimis, morbi præsentis desumitur, leuior enim recessus a statu naturali facilius in ordinem redigi potest, imo sponte quandoque corrigitur. Quo grauius vero a statu naturali deflectit intemperies, eo quoque grauius infertur periculum, maxime si maligna sit intemperies. Non tamen id generatim exactius defi-

niri

niri ita poteſt, cum in qualibet intemperiei ſpecie circumſtantiæ præſentes id melius doceant.

§. XXIV.

Tempus euentus pro ratione actiuitatis, maioris vel minoris, humorum ita vitiatorum, pro cauſæ fouentis conditione, & pro diuerſitate reliquarum circumſtantiarum, variat. Fiunt itaque inde morbi vel acuti vel chronici.

§. XXV.

Modus euentus ad ſalutem ſemper fit reſtitutione proportionis conuenientis particularum, fluidum conſtituentium, & quidem ſecedentibus & euacuatis particulis ſuperfluis, reſtitutis autem deficientibus. Ad mortem autem tranſitus fit, ſi proportio vitiata magis deterior euadat, & tandem talis, vt vita ſupereſſe haud queat, humoribus, vel ſpiritibus, vel partibus ſolidis, ad vitam inhabilibus redditis. Specialis autem euentus modus non niſi ex ſpecialiſſima morbi cuiuslibet inde orti conditione determinari poteſt.

§. XXVI.

Curatio omnis morborum cum in cauſæ remotione conſiſtat, etiam intemperiei morbi haud aliter ſanari poſſunt, quam intemperiei correctione; eſt enim hæc, vt ſuperius dictum, cauſa horum morborum immediata. Intemperies autem itidem auferri haud poteſt, niſi cauſa eiusdem ablata. Hæc igitur cum ſit proportio particularum, fluida conſtituentium, vitiata, curatio morborum intemperiei obtinebitur, ſi proportionem, modo dictam, ita emendemus, vt conueni-

ens,& actionibus apta, redeat. Proportio vitiata cum a particularum fluidum constituentium vel excessu vel defectu dependeat, emendatio eiusdem erit remotio particularum excedentium, & restitutio deficientium. Cum itaque omnis intemperiei, vel qualitatis fluidorum vitiatæ, correctio generatim in remotione particularum excedentium, & restitutione deficientium, posita sit, & quantitatis fluidorum peccantis excedentis per remotionem superflui fluidi, & deficientis per restitutionem eiusdem, curatio fiat, motusque humorum aberrans tam per ea, quæ & qualitatem & quantitatem emendant, quam iis, quæ solidis vitiatis subueniunt, quæ itidem sunt humores corrigentia, emendetur, euidens est, verissimam esse *Hippocratis* sententiam, *Libr. de flatibus.* Cap. III. *Medicina*, inquientis, *est appositio & ablatio. Ablatio quidem eorum, quæ excedunt, appositio autem eorum, quæ deficiunt: qui autem hoc optime facit, optimus est medicus, qui vero plurimum ab hoc deficit, plurimum quoque deficit ab arte.*

§. XXVII.

Remotio particularum excedentium fit per euacuationem, vnde particulæ fluidorum excedentes si peregrinæ sint, & aptæ, vt euacuari queant, quantocyus id præstari debet, priusquam intimius læsionem adferant maiorem, vel intimius humoribus vitalibus misceantur. Sic venena, ore hausta, per vomitoria sunt educenda, sic miasmata febrilia maligna ad primum mali sensum per bezoardica sunt secernenda, & generatim circumstantiæ in quolibet tali statu erunt ponderandæ,

derandæ, vt apta euacuatio ſeligatur, & rite adminiſtretur. Peregrinæ autem,ad euacuationem ſi idoneæ non ſint, v. g. ob acrimoniam nimiam, vt in venenis corroſiuis aſſumptis, vel cantharidibus deglutitis, easdem corrigentia vel iungenda, vel præmittenda,ſunt,vt in illis pinguia, & diluentia tepida, in his lac vel emulſiones proſunt.

§. XXVIII.

Ordinariæ, excedentes tamen, particulæ, fluida conſtituentes itidem per euacuantia remouentur, eadem tamen lege obſeruata, vt habiles ad euacuationem ſint, vnde, ſi id non ſit, aptandæ prius erunt. Inhabiles ad euacuationem ſunt vel ob acrimoniam nimiam, vel ob viſcidatem nimiam, vel ob alias conditiones, quæ prius corrigi debent. Correctio autem hæc fit per additionem eorum, quæ deficiunt, & ideo ad alteram curationis partem pertinent. Hac autem correctione obtinemus, vt non ſolum particulæ ad euacuandum idoneæ reddantur, ſed etiam ſponte, absque remediis euacuantibus adhibitis, euacuationem ſubeant, cum ita ſtructum ſit corpus a ſapientiſſimo Numine, vt ſecretio & excretio ſemper eueniat,ſi habiles ſint particulæ ſecernendæ. Quod ſi autem quantitas maior, vel aliud quid, obſtet, vt, correctione licet facta, ſpontanea euacuatio haud fiat, tum præſto ſunt remedia euacuantia, quæ ſeligenda,& recte adhibenda, veniunt.

§. XXIX.

Qnænam autem euacuationis ſpecies,ad euacuandas particulas excedentes, magis apta ſit, ex particula-

rum exuperantium conditione, sede affecta, viribus, reliquisque, morbi & ægri, circumstantiis determinari debet. Quodsi hoc iam explanare velimus, totam fere medendi methodum tradere deberemus, quæ in hisce maxime consistit. Igitur id ex eadem huc repeti debet.

§. XXX.

Deficientium fluidorum particularum restitutio generatim alteratio dici solet, cum additione hac qualitas fluidi alteretur, vis enim particularum vitiosarum infringitur & corrigitur hac mixtura. Si itaque vel terreæ, vel aqueæ, vel sulphureæ, vel salinæ particulæ, seorsim vel coniunctim, deficiant in fluido, eæ restituendæ veniunt. Hoc autem manifestum redditur ex ipsius fluidi, qualitate peccantis, conditione. Sic biliosæ seu sulphureæ & salinæ volatiles sanguinis partes mitescunt iis, quæ absorbent partes salinas & sulphureas rarefactas, vti sunt terrea, testacea & similia; quæ figunt easdem, acidula, salia media, nitrosa; quæ sulphure aqueo obtundunt sal volatile, gelatinosa, semina frigida; quæ serum blandum restituunt & augent, vt aquea & potiones & decocta & similia. Partes sulphureæ oleosæ volatiles si deficiant, restituendæ sunt per sulphurea aromatica, salia volatilia, simplicia & oleosa. Atque ita in reliquis defectus earum particularum, quæ reliquarum vim proportionatam reddere queunt, resarciri debet. Quomodo autem hæc particularum deficientium restitutio in singulis humo-

ribus

ribus vitiatis recte,& secundum omnes circumstantias, prudenter instituenda sit, paucis dici haud potest, sed peculiarem tractationem postulat, & alteram totius methodi medendi partem absoluit.

§. XXXI.

Vtrique scopo aptus rerum nonnaturalium vsus vna inseruire debet, vt particularum excedentium remotio decens, deficientium autem restitutio proportionata, eueniat. Definiri autem etiam hic vsus haud aliter, ac ex ipsius fluidi peccantis, reliquarumque circumstantiarum, speciali conditione, valet, vnde ad specialiorem horum considerationem id quoque reseruamus.

SOLI DEO GLORIA!

SAns faste & vanité, je puis bien ici dire,
Que d'art des medicins, si noble & precieux,
Surpasse infiniment, tout ce qu'ont pû produire,
Tant de grands hommes merveilleux.
Car l'homme at-il perdu, sa santé tant cherie,
Au Docte Medicin, il a tout son recours,
Lequel, pour la lui rendre, & conserver sa vie,
Sçait bientôt de son art, tirer un promt secours.

Qui

Qui donc oseroit contredire,
Sans passer pour un radoteur,
Que vous avez bien fait d'édire,
Un art qui vous comble d'honneur.
Ainsi mon cher ami, il faudroit que ma plume,
Fit en ce lieu, pour suivre la coutume,
Sur vos belles études, un éloge à dessein;
Mais étant de chacun parfaittement connuës,
Ie me contenterai, à cette même fin,
De vous feliciter sur telles avenuës;
Vous priant cher ami, d'agréer de bon cœur,
Ce petit temoignage, de mon zêle & de ma candeur.

VALENTIN KESSLER,
Doctorand en droit

LEgerat haec medicum numen, quae digna notatu.
Digna cedro per TE scripta videre iuuat;
Nunc, ait, omnino manet hunc sua gloria natum,
Et merito doctae praemia frontis habet:
Declarauit enim, quantum iuuet, ore doceri
WEDELII & tanti verba notasse VIRI.

Nouos honores & insignia Domino Doctorando Amico docto, fideli, prudenti, pro meritis collata gratulaturus scribebat ista.

IOH. IMM. MULLER,
Neogard. Pomer.

(23)